

& uxor prædium vel fundum simul dederunt in dotem pro filia, videtur uxor remittere jus hypothecæ, quod habebat in eo. Tertiò facit; quia licet mulier, vel quilibet alius repetat indebitè solutum per errorem; tamen, si solvit pro dote quam putabat debere, non potest repetere: textus est singularis & unicus in iure, in *leg. Cum his. §. Si mulier. ff. de Condit. indebit.* quem ad hoc notant & commendat ibi DD. & reputat singularem & unicum Palac. Rubeus in *Repet. sua fol. 29. column. 2. & fol. 90. column. 3.* Quartò facit text. in *leg. Quamvis. ff. Solut. matrim.* ibi habetur, quòd constante matrimonio potest maritus solvere dotem uxori ut dotem filia. Contrarium tamen tenet Specul. in *tit. de Emptione & venditione. §. 3. loco. 4. column. versicul. Quid ergo de consensu uxoris, &c.* & sequitur & commendat Palac. Rub. in *sua Repet. fol. 28. 3. & 4. column. & fol. 46. 1. column.* imò, quòd de bonis dotalibus non possit solvi; & si solvatur, posset repeti per maritum constante matrimonio; & eo soluto, per uxorem, nisi iurasset: Quia cum regulariter non possunt alienari nisi in casibus à jure expressis, non possunt ex ista causa alienari, cum non reperiatur in iure dispositum; maximè, quia licet dos sit privilegiata, non tamen contra aliam dotem æquè privilegiatam, argumento eorum quæ notantur in *leg. fin. ff. Ex quibus caus. majores, & expressius, in leg. Assiduis, Cod. Qui potior, in pignor. hab.* Sed primam opinionem approbat & confirmat hodiè prædicta lex 53. in *istis ll. Taur.* quæ disponit, quòd si sunt bona superlucrata & acquisita constante matrimonio, de illis videntur promittere, & debet solvi: si verò non sunt talia bona, uterque tenetur ad dimidiam, & debet solvi ex quibuscumque bonis, etiam dotalibus: & ita tenet & declarat ibi Glossat. Cifuent. in *fin. & Doct. de Palac. Rub. in fin. & Didac. de Castill. penult. column. in versic. En qualquier manera.*

Ex quibus infero, quòd si fortè pater & extraneus simul dotem promittunt pro filio vel filia, quòd uterque tenetur pro dimidia: quia si quando pater & mater simul promittunt, est idem: ergo & in isto casu. E jam vidi in quæstione de facto, quòd pater & noverca simpliciter & simul promiserunt dotem pro filia; & dixi & consului quòd uterque teneretur pro dimi-

(o) Vide Palac. Rub. in §. 66. num. 18. in *Repet. rub. & §. 62. num. 32. Paz, quæst. civil. 8. num. 16. Azeved. in leg. 9. titul. 9. à n. 12. lib. 4. Recopil. Bacz. lib. 3. de Non meliorandis, cap. 15. num. 2. & 14. Ayor. de Partitionibus, 2. part. quæst. 12. num. 35. & seq. quamad. quæst. fiscali 6. in fin. Gutierr. in ll. regni 2. part. cap. 127. num. 5. Matienz. in leg. 2. titul. 9. lib. 5. gloss. 7. num. 7. Barbos. in leg. 1. quæst. 4. num. 935. soluto matrimonio.*

dia. (o) Nec obstat text. cum materia, in *dict. leg. fin. Cod. de Dotis promis.* quia illam intelligo quando solus pater promitteret simpliciter vel indeterminatè de bonis suis & filia: secùs verò, si ipse simul cum alio; quia tunc uterque tenetur pro parte. Secundò infero, quòd nedum pater potest obligari pro dote tanquam correus, ut proximè dixi; verum etiam tanquam fidejussor alterius: quo casu, si pater tanquam fidejussor solvat: non potest à principali repetere: text. est singularis & unicus in iure in *leg. Profectitia. §. Si pater non quasi pater. ff. de Jure dotium,* quem reputat singularem & unicum Rom. in *Singul. suis, singul. 167. & refert & sequitur Didac. de Castill. in Prad. leg. 53. Taur. 5. col. versic. Unum tamen scias.* Sed certè uterque decipitur, quia ille textus intelligitur quòd dos non est profectitia, licet principalis non sit solvendo; non tamen dicit quòd non possit ab eo repetere, si esset solvendo, secundum Glossam ordinari. cum qua ibi transeunt communiter DD.

Quæro tamen circa prædicta, an pro dote promissa possit obligari fidejussor? Et breviter & resolutivè dico quòd sic: text. est in *leg. Profectitia. §. Si pater. ff. de Jure dot. & ibi notat Bald. & communiter DD. text. in leg. Cum dotis, eodem titul. text. in leg. Generaliter, Cod. ad Vellejan. ubi disponitur, quòd mulier, quæ regulariter non potest esse fidejussor, potest obligari pro dote: & ad hoc notat & commendat ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. Sed è converso pro dote restituenda ipsi uxori à marito, vel patre, vel alio recipiente, non potest dari fidejussor: quia cum marito principaliter committatur persona uxoris, justum & rationabile videtur quòd committatur dos sine fidejussione, ne aliàs inter eos oriator perfidia & discordia: text. est formalis & expressus in *leg. 1. & 2. Cod. ne fidejussor. dotis dent. & ibi Gloss. ordinaria, Odofred. Petr. Cin. Bartol. Alberic. Bald. Angel. Salyc. Fulgos. & communiter DD. Nec obstat si dicas, quòd, attenda ista ratione, etiam videtur quòd in casu superiori non possit dari fidejussor pro dote solvenda: Quia respondeo singulariter ultra DD. quòd in isto casu militat causa perpetua discordiæ, & sic prohibitio requiritur perpetuò, cum dos debet esse perpetuò penes maritum constante matrimonio: in superiori verò casu non, sed statim & cele-**

riter debet solvi marito, & promissor remanet liberatus, & sic nulla subest vel remanet inter eos rixa vel discordia. Vel aliter & secundò respondeo, quòd isto casu dotis restituendæ maritus est debitor: in superiori verò casu dotis promissæ, ipsa mulier vel alter pro ea est obligata & tenetur solvere: quæ quidem mulier est subjecta viro, & ideo non præsumitur quòd habeat discordiam cum marito ex ista causa. Verum tamen est, quòd Cin. in *dict. leg. 1. Cod. Ne fidejussor. dot. dent.* post Jacob. de Raven. tenebat quòd intelligatur, marito invito; sed, eo volente præstare fidejussorem, benè teneatur & obligetur: & sequitur Roman. in *leg. Si constante. ff. Solut. matrim. 8. column. num. 21. & Cuman. in §. Quoties ejusdem legis, 2. column.* Sed communis opinio tenet contrarium in *locis ubi supra*, quia etiam isto casu militat ratio prohibitionis. Et in tantum hoc est verum, ut non possit huic dispositioni renuntiare: ita Glossa ordinaria in *dict. leg. 1. Cod. Ne fidejuss. dot. dent. in gloss. magna, in fin.* quem sequuntur communiter DD. & reputat singularem & unicam Angel. ibi: Ex qua nota, quòd legi prohibiti-væ etiam favore renuntiantis non potest renuntiare.

Quod tamen limita & intellige sequentibus modis: Primò, ut non procedat quando dos solveretur ante matrimonium, & fidejussor obligetur de dote restituenda si matrimonium non sequatur: ita probat text. in *leg. Titio centum. §. Titio generi, versic. Sed cum ante nuptias. ff. de Cond. & demonstr. & ibi notat & commendat Bartol. & alii DD. tenet etiam & commendat Alexand. & communiter DD. in *leg. Si constante. §. Quotiens. ff. Solut. matrim.* Secundò limita, nisi detur fidejussor de dote restituenda, viro vergente ad inopiam: ita probat text. in *cap. Per vestras de donat. inter vir. & uxor. & ibi communiter DD. & ita tenent Bartol. Alexand. & Moderni in dict. leg. Si constante. §. Quotiens. ff. Solut. matrim.* Tertiò limita, nisi fidejussor detur soluto jam matrimonio: quia cessat prædicta ratio prohibitionis: ita Gloss. ordinaria in *dict. leg. 1. Cod. Ne fidejussor. dotis dentur, & ibi communiter DD.**

Quartò limita, nisi pater vel frater mariti, vel alter conjunctus ejus esset fidejussor: quia hoc casu præsumitur cessare prædicta ratio; & argumento text. in *leg. fin. Cod. de Dote cauta non. num. ita tenet Paul. in leg. Si cum dotem. §. Transgrediamur. ff. Solut. matrim. 2. column. num. 5. Alexand. & alii DD. in leg. Si constante. §. Quotiens, eodem titul.* Sed attende, quòd ista sententia & conclusio benè procederet in patre, quia naturaliter charitas & fortissimus amor ex-

cludit contrariam præsumptionem, argumento text. in *leg. Aurelius, §. Tirtius. ff. de Lib. legat. & in leg. isti quidem. ff. Quod metus causa,* sed non in fratre, nec in aliis conjunctis; quia reputantur extranei, argumento text. in *leg. unie. §. Accedit, versic. Extraneus, Cod. de Rei uxori. action. & in expresso ita tenet Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 106. column. 4. post Bald. Novell. quem allegat.*

Quintò limita, nisi talis fidejussor juravit: quia tunc efficaciter tenetur: ita Paul. de Castr. & communiter DD. in *dict. leg. Si constante. §. Quotiens,* licet contrarium teneat Bart. in *leg. Si quis pro eo. ff. de Fidejussor.* Sextò limita in muliere: secùs in extraneo dotante; quia benè potest fidejussorem recipere de dote sibi restituenda: ita sentit Bartol. in *dict. leg. Si constan. 8. col. 6. quæst. & tenet ibi Roman. 8. column. n. 20. Imol. 5. column. Jas. num. 54. Alexand. in §. Quotiens, ejusdem leg. column. 4. num. 6.*

Septimò limita, nisi in aliquo loco sit consuetudo in contrarium: quia licet text. in *dict. leg. 1. & 2. C. Ne fidejuss. dot. dent.* reprobet consuetudinem contrariam; tamen intelligitur de præterita, non de futura: ita probat text. in *dict. cap. Per vestras.* Confirmatur, quia consuetudo semel à jure damnata potest iterum introduci, maximè ex aliqua nova causa superveniente: ita Gloss. notabilis ordinaria in *Clem. statutum, de elect. in verb. Consuetudine, & ibi DD. probat etiam text. in leg. Dudum, Cod. de Contrah. emp. juncto text. in cap. Constitutus, de in integr. rest.* Et in effectu istas & aliàs limitationes ponit Alexand. & Moderni in *dict. leg. Si constante. §. Quotiens. ff. Solut. matrim.* Jacob. de Sanct. Georg. in *leg. Profectitia. §. Si pater. ff. de Jure dot. Palac. Rub. in sua Repet. fol. 105. vers. 5. &c. per plures columnas, Bald. Novell. in tract. Dot. 6. part. princip. 21. privileg. per plures columnas.*

Item adde pro declaratione prædictorum, quòd quando dos incipit à promissione, non transit dominium sine traditione: text. est in *leg. de Divisione, in fin. ff. Solut. matrimonio, & ibi notat & commendat Bartol. & communiter DD. text. in leg. Dotale, §. 1. ff. de Fundo dotal. text. in leg. fin. §. Praterea, Cod. de Jure dot. ubi dicit text. quòd quando extraneus promisit prædia vel res in dotem, & nondum tradidit, fructus & accessiones debentur post lapsum bien-nii: ergo si prædia vel res essent traditæ, necessariò deberentur à tempore traditionis, ratione domini: & ad hoc notat & ponderat solus Bald. ibi *column. 2.* Quod extende, ut procedat & habeat locum, etiam si uxor, pater, vel alius omnia bona sua promittat in dotem: quia non transit dominium sine traditione: ita est Gloss.*

Gloss. singularis & unica, juncto text. in leg. 1. in verb. *Universa*. ff. *Pro dote*, quam ibi sequuntur Bartol. & communiter DD. & illam Gloss. reputat singularem & unicam Bald. in leg. *Nulla in princip. Cod. de Jure dot.* Joan. de Imol. in dict. leg. de *Divisione*. ff. *Solut. matrim.* 1. col. num. 2. & ibi Paul. & communiter Modern. idem Imol. in leg. *Stipulatio hoc modo concepta*. ff. de *Verbor. oblig. penult. column.* & ibi Angel. 1. col. in fin. Alexand. 6. column. num. 16. & alii DD. Angel. de Perus. in leg. 1. ff. de *Pignor. prope finem*. Plat. in §. fin. *Instit. de Offic. judic. colum. 2.* Ex quo inferas, quod sicut ex titulo particulari, vel universali ex contractu non transit dominium sine traditione, ut in leg. *Traditionibus*, Cod. de *Pactis*, & in leg. *Qui tibi*, Cod. de *Hæred. vel act. cum simil.* ita etiam ex titulo particulari vel universali ex contractu dotis non transit.

28 Item quæro: Si pater, vel conjunctus, vel extraneus dedit vel promisit dotem; cui debet restitui soluto matrimonio, an ipsi dotanti, vel mulieri dotata? Et magistraliter & resolutivè dico, quod si pater dedit vel promisit dotem pro filia in potestate, actio est communis, & debet utrique restitui, nec unus sine alio potest agere, petere, cedere, nec delegare: text. est capitalis & expressus in leg. 2. §. *Quod si in patris*. ff. *Solut. matrim.* & ibi Gloss. ordinaria Bart. Paul. Imol. Alexand. Jas. & communiter DD. Cujus ratio potest esse duplex: una ex parte patris, alia ex parte filia: ex parte patris, ne si filia haberet actionem in solidum, eam exigeret & perderet, & pater cogere iterum dotare: ex parte filia, ne patre recipiente dotem, eam consumeret, & filia remaneret indotata, secundum Glossam, & DD. ibi: & licet de jure antiquo & novo quicquid acquirit filius in bonis profectiis acquirat patri, ut in leg. *Placet*. ff. de *Acquir. hæredit.* & in leg. *Cum oportet*, Cod. de *Bonis qua liber.* tamen speciale est in dote, quia efficitur communis per dictas rationes. Quod intellige, nisi pater sibi stipuletur in continenti; quia tunc sibi soli quæritur: text. est in leg. *Quotiens*. ff. *Solut. matrim.* & ibi Glossa, & communiter DD. vel nisi stipuletur filia; quia sibi soli quæritur, & pater videtur ei totam dotem donare, & actionem ejus in solidum ei cedere, argumento text. in leg. *Pomponius Philadelphus*. ff. *Famil. ercis.* & ibi communiter DD. & in leg. *Si extraneas*. ff. de *Condit. ob causam*. Secundò intellige, nisi filia decedat durante matrimonio; quia tunc tota dos & actio ejus quæritur patri, & consolidatur in ejus persona text. est in leg. *Dos à patre*, Cod. *Solut. matrim.* Quod procedit etiam extantibus liberis, secundum Glossam ordinariam, & communiter DD.

ibi, per bona fundamenta & rationes, licet de consuetudine servetur contrarium secundum eos: de qua quæstione vide latè & melius quam alibi per Salyc. *ibi*, qui disputat ab utraque parte, & ideo in hoc non insisto.

Si verò dedit vel promiserit dotem pro filia emancipata, sibi quæritur tota dos & ejus actio; quia videtur donare, & non est impedimentum patriæ potestatis. Et eadem ratione, si tempore dotis constituta erat in potestate, sed soluto matrimonio reperitur sui juris morte patris vel emancipatione, tota actio quæritur filia & consolidatur in ejus persona, licet à patre sit ex hærelata: text. est in leg. *unic. §. Videamus*, Cod. de *Rei uxor. act.* & ibi Gloss. ordinaria, & communiter DD. & tenet magistraliter Bartol. in dict. leg. 2. §. *Quod si in patris*. ff. *Solut. matrim.* 2. column. num. 3. & ibi communiter DD. Adde tamen, quod hoc casu est magnum dubium, si pater sit stipulatus dotem sibi reddi, & decedat constante matrimonio ipsius filia, an postea soluto matrimonio per mortem viri vel uxoris dos pertineat ad hæredes patris, vel ad filiam & ejus hæredes? & Gloss. ordinaria in dict. leg. *unic. §. Videamus*, Cod. de *Rei uxor. action.* tenet quod ad filiam vel ejus hæredes: quam reputat ibi singularem Angel. de Perus. sed contrarium tenet ibi Odofred. Cin. & magis communiter DD. per bona fundamenta; quæ vide per eos. Ex quibus clarè deducitur & infertur, quod si hodiè in nostro regno pater dedit vel promisit dotem pro filia in potestate, cum per contractum matrimonii efficiatur sui juris & habeatur pro emancipata, per legem 47. his ll. *Taur.* quod tota dos, & similiter actio & obligatio ejus quæritur soli filia, & consolidatur in ea, & non quæritur patri, nec alteri in totum, nec pro parte.

Si verò conjunctus vel extraneus dedit vel promisit dotem, tunc tota dos & actio ejus quæritur mulieri & ejus hæredibus; quia videtur donare, imò etiam fingitur stipulatio favore ejus: text. est formalis & expressus in dict. leg. *unic. §. Accedit*, Cod. de *Rei uxor. action.* Quod intellige, nisi in continenti fuerit sibi stipulatus; ut dicit ibi text. & est etiam text. in leg. *Si dotem*, Cod. de *Jure dot.* & utrobique communiter DD. Juxta quod tamen quæro, si talis conjunctus vel extraneus stipuletur vel paciscatur dotem reddi & solvi mulieri, an sibi quærat? Et dicendum est quod sic: quia licet alteri nemo possit stipulari vel acquirere, ut in leg. *Stipulatio ista*. §. *Alteri*. ff. de *Verbor. oblig. cum simil.* Item, licet nemo possit alteri stipulari, acquirere, nec pacisci super re quæ non debet durare in ejus dominio, ut in leg. *Publ.*

ff.

ff. *Depositum*, & in leg. *penult. Cod. ad Exhibend. cum simil.* tamen fallit in dote, ejus favore: text. est in leg. *Cajus Sejus*. ff. *Solut. matrimonio*, & ibi Bartol. & communiter DD. Imò, quod magis est, si stipuletur alternativè sibi aut mulieri, tota dos & actio ejus quæritur mulieri favore matrimonii: text. est singularis & unicus in dict. leg. *Cajus Sejus*. ff. *Solut. matrimonio*, quem reputat singularissimum Paul. de Castr. & unicum Angel. Alexand. & alii DD. facit etiam text. in leg. *Uxorem*. §. *Testamento*. ff. de *legat. 3.* & licet alternativa posita inter personas honoratas, quibus actio quæri potest, resolvatur in conjunctam, ut in leg. *penult. Cod. de Verbor. signific.* non tamen sic in nostro casu, favore dotis: si verò stipuletur copulativè sibi & mulieri, utriusque quæritur pro medietate, argumento text. in leg. *Reos*. §. *Cum in tabulis*. ff. de *Daobus reis, cum simil.* ita Bartol. & communiter DD. in dict. leg. *Cajus*. Pulchrum tamen dubium est, si simpliciter & in personaliter stipuletur dotem reddi & solvi, & non dicatur nec expriniatur cui, an quærat ipsi dotanti, vel mulieri dotata? Et resolutivè dico, quod mulieri dotata: argumento text. in leg. *Post dotem secundum*. ff. *Solut. matrim.* & in expresso ita tenet Bartol. in dict. leg. *Cajus Sejus eodem titul. fin. column.* & ibi Paul. de Castr. Roman. Alex. & magis commun. DD. Jacob. de Sanct. Georg. in leg. *Adoptivum*, §. 1. ff. de *Jure dot.* circa quæ omnia vide Bald. Novell. in dict. *tract. Dotis*, 6. part. *privileg.* 22. usque ad 31.

29 Item quæro, an promissio vel legatum pro dote vel causa dotis, sit conditionale, vel purum? & hoc est maximi effectus quoad suspensionem, petitionem & transmissionem, & plura alia. Et breviter & resolutivè dico, quod aut loquimur in patre promittente vel legante, aut in extraneo. Si in patre, aut promittit vel legat simpliciter, nulla alia legitima relicta; & censetur purum: quia præsumitur aliàs relicta, cum legitimam sibi relinquere teneatur in vita vel in morte, & aliter testamentum non valeret; & sic est magis consilium vel monitio, ut filia nubat, quam gravamen: argumento text. in leg. *Muto*, §. 1. ff. de *Tutelis*, & in leg. *Cum pater*. §. *Mando*. ff. de *legat. 2.* & in leg. *Si extraneus*. ff. de *Condit. ob caus.* Et adde, quod erit promissio vel legatum purum tam in concurrente quantitate legitimæ, quam in ea quæ excedit; ne una & eadem dispositio diversimodè judicetur: argumento text. in leg. *Eum qui ades*. ff. de *Usucap.* & in leg. *Jam hoc jure*. ff. de *Vulgar. & pupil.* Si tamen aliàs filia reliquerat legitimam, esset conditionale, sicut si promitteretur vel legatur ab extraneo, ut statim dicam: & idem

est, si pater promisit vel legavit non simpliciter, sed respectu & contemplatione certi matrimonii; quia similiter esset dispositio conditionalis: ita probat text. in leg. *Titio centum*. §. *Titio gener. versic. Ante nuptias*. ff. de *Condit. & demonstr.* ubi habetur, quod si pater Titio, qui futurus erat maritus filia suæ, centum legavit, & aliquis eorum decessit ante matrimonium; legatum non debetur nec transmittitur ad hæredes. Si verò loquimur in extraneo; tunc indistinctè, modò fiat promissio vel legatum dotis pro certo matrimonio, modò simpliciter, semper censetur conditionale: quia dos sine matrimonio esse non potest, ut in leg. 3. ff. de *Jure dot. cum similib.* Item, quia talis promissio vel relicta nedom respicit favorem filia dotata, sed etiam mariti futuri & reipublicæ, argumento text. in leg. 1. ff. *Solut. matrim. cum similib.* Item & magis expressè facit text. in leg. *Si ego*. ff. de *Jure dotium*, & in leg. *Licet*. §. *Quotiens*, eod. titul. & in leg. *Si à Titio*. ff. de *Verb. obligat.* Item etiam, quia ita demum videtur donare mulieri, si matrimonium sequatur, aliter non: argumento text. in leg. *Si donaturus*. ff. de *Condit. ob causam*. Quod intellige, nisi ex aliquibus conjecturis possit constare quod voluit promittere vel legare purè, & non sub conditione. Et in expresso istam doctrinam & resolutionem ponit Bartol. in leg. *Titio centum*. §. *Titio gener. ff. de Condit. & demonstrat.* 2. column. versic. *Sed quæro*, num. 3. & ibi Paul. de Castr. Imol. & communiter DD. Bald. in leg. *Generaliter*, la 1. Cod. de *Episcop. & Cler.* 4. column. n. 9. Bald. Novell. in *tract. Dotis*, 6. part. *privileg.* 76. *privileg. cum seq.* ubi latè tractat Joan. Campeg. in *tract. dot.* 1. part. *quest.* 29. Ex quibus infero, quod hoc casu promissio vel legatum non potest à muliere peti, nisi jam matrimonio realiter contracto; saltem per verba de præsentibus: argumento text. in leg. *Sancimus*, la 1. Cod. de *Nupt.* & in leg. *Cum fuerit*. ff. de *Condit. & demonstr.* & in *regula, nuptias*. ff. de *Regul. jur.* nec requiritur traductio ad domum, nec alia solemnitas nuptiarum: Nec sufficeret tempus nubilis ætatis, etiam præstita cautione de nubendo: ita Bart. in dict. §. *Titio gener. fin. column. penult. quest.* Et licet ipse hoc intelligat quando fit promissio vel legatum pro dote, secus verò quando fit pro muliere maritanda; quia tunc esset modus, & posset mulier petere, præstita cautione de nubendo, sicut in alia dispositione modali, argumento text. cum materia in leg. *Quibus diebus*. §. *Termilius*. ff. de *Condit. & demonstr.* tamen contrarium & melius tenet Paul. in dict. §. *Titio gener.* 3. column. versicul. *Item dicit* Bartol. & ibi Imol. & alii DD. Imò quod utroque casu re-

requiratur realiter esse contractum matrimonium, saltem per verba de presenti: quia differentia Bart. potius est verbalis quam realis. Et prædicta procedunt & habent locum modò promissio vel legatum fiat mulieri jam adultæ & nubilis ætatis, modò puellæ impuberi & non nubilis ætatis, secundum DD. ubi supra. Juxta prædicta tamen potest notabiliter quæri, si testator mandavit & commisit executoribus suis, quòd expendantur mille pro puellis maritandis, an isti executores possint distribuere & expendere iater puellas impuberes, & nondum nubilis ætatis? Et breviter & resolutivè dico, quòd si in specie fit mentio earum, dicendo, *pro Titia vel Seia maritanda*, non est necesse expectare nubilem ætatem: si verò in genere pro puellis maritandis, non possunt distribuere inter puberes non nubilis ætatis, sed debent eligere puellas jam adultas & nubilis ætatis: quia causa finalis testatoris debet attendi & considerari tempore mortis ejus, & verificari in personis, in quibus concurrant illa qualitas & causa finalis: ita Bald. in leg. *Sancimus, Cod. de Nuptiis, fin. quest.* argumento text. in leg. *Nec semel, §. Si in habitatione ff. Quando dies legat. cedat*, ubi habetur, quòd legatum factum respectu certæ causæ vel necessitatis, debetur tempore illius causæ & necessitatis, & non alio: & ibi notat & commendat Bartol. & DD. antiqui. Idem Bartol. in leg. *Qui hoc anno, ff. de Verbor. obligat. fin. column.* & ibi communiter DD.

30 Item quæro, an propter dotem non solutam marito licitè debeantur sibi usuræ? Et breviter & resolutivè dico, quòd si maritus sustinet onera matrimonii, debentur sibi usuræ post moram; quia magis censetur proprium interesse, quam usura: & hoc tam de jure canonico quam civili: textus est in leg. in *Insulam, §. Usuras, ff. Solutio matrimonii*, & ibi tenet Bartol. Alber. Bald. Paul. & communiter DD. text. in leg. *Cum post §. In demum, ff. de Jure dotium text. in leg. Creditor, §. Si inter ff. Mandat. text. in leg. fin. ff. de Doli except. text. in cap. Salubriter. de Usuris* & ibi notat & commendat Innocent. Hostiens. Joan. Andr. Anton. de But. Cardin. Anchar. & reputat singularem & unicum Abb. Anania & alii DD. ibi: & reputat etiam singularem & unicum Palac. Rubeus in sua repet. cap. *Per vestras fol. 110. 3. column.* versic. *Octavo infertur.* (p) Facit etiam text. in cap. *Conquestus de Usuris*, text. in leg. *Curabit, Cod. de Action. empt. text. in leg. Socium qui in eo ff. Pro socio. Quod notabiliter in-*

(p) Vide Molin. de Usuris, num. 523. Palac. Rub. in repet. notabili 6. §. 8. fere per totum. Covar. lib. 3. Variarum, cap. 1. num. 5.

telligo isto modo: quòd si promissio dotis consistebat in pecunia, & pro ea data fuerunt pignora, fructus eorum lucratur vir, nec tenetur in sortem computare: Primò, quia non est lucrum certum; cum possit contingere quòd nihil percipiatur: Secundò, quia subrogatum sapit naturam ejus in cujus locum subrogatur; unde, sicut maritus lucratur fructus dotis, ita debet lucrari fructus rei pignoratæ, quæ loco ejus subrogatur: Quod tamen limita & intellige, quando fructus commensurari possunt cum alimentis à maritopræstitis, seu præstandis, considerata qualitate personarum: secus verò, si essent fructus immensi; nam illi deberent computari in sortem: ita singulariter Bald. in leg. *fin. §. Præterea, Cod. de Jure dotium, 2. column.* versic. *Adhuc est dubium.* Alexand. in dict. leg. in *insulam, §. Usuras ff. Solutio Matrimonio, fin. column.* Palac. Rub. in dict. sua repet. fol. 111. column. 2. versic. *Intellige tamen ista.* Si verò non fuerunt data pignora; tunc, si fuerunt promissæ usuræ in quantitate certa, puta decem pro centum, vel simile; non possunt peti, quia sunt illicitæ & reprobata: sed bene poterunt peti quatenus impendit in uxorem, & sustinuit onera matrimonii; quia petuntur ut interesse damni emergentis: Imò etiam hoc haberet locum etiam si nullæ usuræ essent promissæ, ratione prædicta: & his casibus istud interesse potest transcendere usuras, vel esse minus quam usuræ consuetæ: & in expressò ita tenet Paul. de Castr. Joan. de Imol. Roman. Cuman. Alexand. & communiter DD. in dict. leg. in *insulam, §. Usuras, ff. Solutio matrimonii.* Joan. Andr. & magis communiter Canonistæ, in dict. cap. *Salubriter de Usuris.* Bald. Novellus, in tractat. dotis 7. part. in tertio speciali, licet contrarium teneat Paul. de Elea & Caldejus, in dict. cap. *Salubriter* imò, quòd indistinctè debeantur & sint licitæ usuræ propter dotem non solutam. Si verò non sustinet prædicta onera matrimonii, non debentur usuræ, secundum DD. ubi supra. Unum tamen est, quòd si maritus post mortem debitoris recepit dotem, non potest petere istas usuras vel interessè, quæ non fuerunt promissæ; quia debentur officio judicis: & idem est in quolibet alio contractu, argumento text. in leg. *Qui per collusionem, §. Pretii sortem, ff. de Action. empti, & in leg. 4. Cod. deposit.* & idem est, si toto tempore matrimonii non petit dotem nec usuras; quia videtur eas remittere & donare: textus est singularis & unicus: in leg. *Vir usuras, ff. de Donat. inter virum & uxorem, quem ad hoc notat*

& communiter DD. ibi, & dicit unicum Roman. in dict. §. *Usura, 6. column. num. 16.*

31 Item adde, quòd si dos promissa non solvatur, non tenetur maritus alere uxorem, imò potest eam expellere, & remittere in domum patris vel dotantis: ita probat text. juncta Gloss. singulari, in *Authentic. de non eligen. 2. nuben. §. fin. in verb. Onerat.* & ad hoc eam notat & commendat Cin. Bald. & communiter DD. in leg. *Quod in uxorem, Cod. de Negot. gest. Bald. & DD. in leg. Cum dotem. §. Sin autem in savissimo. ff. Solut. matrim. præcipuè Alexand. 2. col. num. 8. Bald. & DD. in leg. Si donatus. ff. de Cond. ob causam, & ilam Gloss. ad hoc reputat singularem Paul. de Castr. in dict. §. *Usuras, 1. column. num. 2.* & ibi Alexand. & communiter DD. probat etiam text. in leg. *fin. Cod. ad Vellejan.* & ibi notat Bald. & alii DD. probat etiam text. in cap. *Per vestras de donation. inter virum & uxorem*, & ibi notat Abb. 2. column. & 2. not. & communiter Canonistæ. Si verò nulla dos sit data, nec promissa, bene tenetur eam alere secundum conditionem personæ; quia cum uxor teneatur servire & operari viro; ergo ab eo debet alimenta percipere, argumento text. in leg. *Quod si nulla. ff. de Relig. & sumpt. fun. text. in leg. Sicut. ff. de Oper. liber. text. in leg. Rebus. §. Possunt. ff. Rer. amp. & in expressò ita tenet Bartol. in leg. Si constante. ff. Solut. matrim. penult. column. 6. quasi. num. 102. & ibi Cin. in leg. *Quod in uxorem, Cod. de Negot. gest.* & ibi communiter DD.**

Secundus articulus principalis est de jure, natura & effectu dotis, constante matrimonio. Pro cujus perfecta declaratione in primis dico, quòd maritus efficitur dominus rerum dotialium, & potest suo nomine petere & vindicare res dotales, tanquam dominus, à quocumque possessore: text. est in leg. *Doce ancillam, Cod. de Rei vendic. cujus verba sunt: Doce ancillam de qua supplicas dotalem fuisse in notionem præsidis, quo patefacto, in dubio non erit vindicari ab uxore tua nequisse*, & ibi notat & commendat Gloss. ordinaria. Odofred. Petr. Cin. Jacob. Butr. Bart. Alb. Bald. Ang. Paul. de Castr. Salyc. Fulg. & communiter DD. text. in leg. *de His, Cod. de Jure dot.*

32 Pulchrum tamen dubium est: si maritus vindicavit prædictas res dotales, vel defendit, & ab alio sibi vindicantur, & victus fuit per sententiam definitivam, an soluto matrimonio, mulier possit eas petere, & habere regressum contra reum absolutum, vel contra actorem qui obtinuit & reportavit sententiam? Et breviter dico, quòd si maritus sine dolo, culpa, vel fraude egit vel defendit, non poterit mulier

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

postea petere nec aliquo remedio uti; quia illo tempore erat dominus & legitimus administrator, & per consequens sententia lata contra eum agendo vel defendendo nocet mulieri, & sibi obstat exceptio rei judicatæ, tanquam lata contra procuratorem suum: argumento text. in leg. *Si mater, §. Hoc de jure. ff. de Except. rei judic.* Si verò maritus tempore quo egit vel defendit commisit dolum, fraudem, vel culpam in producendis testibus, instrumentis, vel iuribus mulieri competentibus; (& tamen dicitur in dolo vel culpa, quando non fecit nec adhibuit in causa probationes quas potuit) & est solvendo; non habet mulier regressum contra prædictum reum absolutum, vel contra actorem qui vindicavit & obtinuit, sed recuperavit à marito vel ejus hæredibus: si verò maritus non est solvendo, tunc bene potest mulier agere & habere regressum contra prædictum reum conventum & absolutum, vel actorem obtinentem: argumento text. notab. in leg. *Titio centum, §. Titio gener. vers. fin. ff. de Condit. & demonstr. text. in leg. Eleganter, §. penult. ff. de Dolo. text. in leg. Mavia. ff. Solutio matrimonii. text. in leg. Pater, in fin. ff. de Dote prælegat. text. in leg. Si pro re pupilli, §. 1. ff. de Evictionib. ubi habetur, quòd si fundus dotalis vindicetur à marito per verum dominum, illa sententia nocet mulieri, tanquam si ipsa fuisset condemnata, & non potest agere contra maritum, nec contra eum qui obtinuit: & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Cin. in dict. leg. *Doce ancillam*, & ibi Bald. 1. column. & quest. Angel. de Perus. Paul. de Castr. & Salycet. Nec obstat textus singularis & subtilis in proposito, in leg. *Lex vestigali. ff. de Pignor. & in leg. Si quis domum, §. 1. ff. Locat.* ubi habetur, quòd ille qui habet jus in re per aliquod tempus vel per tempus vitæ suæ, non potest per actum & dispositionem suam aliquo modo præjudicare verò domino proprietatis, qui necessariò post tempus vel mortem ejus debet succedere in illa re: Quia respondeo, quòd illa jura debent intelligi, quando per possessorem fit alienatio voluntaria: secus verò si necessaria ex vigore & effectu iudicii. Vel aliter & secundò respondeo, quòd in prædictis iuribus possessor alienavit vel disposuit tantum respectu juris quod habebat in re, & ideò non præjudicat verò domino proprietatis & successori necessario: secus verò quando possessor fecit actum & dispositionem simpliciter & absolutè super tota re, & haberet legitimam administrationem ejus à lege, vel ab ipso necessario successore, ut in nostro casu; quia tunc bene potest ei præjudicare: & in effectu ita subtiliter tenet Bald. in dict. leg.*

D d d

De-